



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Nucleus Coppensteinivus Conceptuum Prædicabilium In Dominicas Festaqve omnia per Annum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiæ, 1624**

Hebdomada tertia Aduentus. De Inferno. Tertio Nouissimorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51556)

Antefaciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.

Hic ad dictam sententiam, quam rabi-  
de raptabit, proturbabit, cruciabit flam-  
mis addictos? 1. Ut Amanum carnifices  
Esth. 7. Necdum verbum de ore Regis exierat,  
& statim operuerunt faciem eius, & suspensus  
est Aman in patibulo. 2. Moyses, Num. 16. ut  
primum loqui desit, mox Chore, Datan  
& Abiron viui descenderunt ad infer-  
num. 3. Ergo Pf. 54. Veniat mors super illos,  
& descendant in infernum viuentes. 4. A deo-  
que Pf. 62. introibunt in inferiora terra, tra-  
dentur in manus gladij: partes vulpium erunt.  
5. Imo Exod. 15. Cadent in profundum quasi  
lapis, & sicut plumbum in aquis vehementibus.

#### PERORATIO.

**Q**uare memorare nouissima, & in et. &c.  
1. Atque ita erit Eccl. 10. Cor sapientis  
in dextra illius, & cor stulti in sinistra eius. id  
est, Iustus omnia sua cogitata referet ad  
dexteram Iudicis, Deique gloriam; ut se  
demum cum iis ad dexteram Dei repe-  
riat beatum. Stulti vero cor, immemor  
nouissimorum ad sinistram se suaque  
vertit, ac perditum it. 2. Formicæ, Prou. 6.  
prudencia laudatur, quod æstate tota la-  
bori infudet, cæteris animalculis cantil-  
lancibus; quæ sub hyemem perire neces-  
se est. Horum similes sunt, qui non me-  
morantur nouissima. Ergo *Vade ad formi-  
cam piger*. Nam veniet hyems omnium &  
sæuisima, & æiterna.

Dicamus Satanæ suadenti peccatum;  
quod miles Ioabo; 2. Reg. 18. *Si appende-  
res in manibus meis mille argenteos, nequaquã  
mitterem manum meam in filium Regis*. Nun-  
ciaratis, se vidisse Absolomum ex arbo-  
re pendentem; optabatque Ioab ut eum  
interfecisset. Quid? pro vililucro, seu de-  
licio in cruce pendentem Iesum filium  
Regis iterum crucifigeremus? Non, si  
mille mundos appenderes mihi; Tan-

tum ut audire merear; *Veni benedicte Pa-  
tris mei, &c.*

Hebdomada tertia Aduentus.

## DE INFERNŌ

Tertio Nouissimorum.

### CONCIO PRIMA.

De memoria Inferni.

*Memorare nouissima tua, & in ater-  
num non peccabis.* Eccl. 7.

Vnum hoc Concionum est omnium  
THEMA.

**M**eretrix, Apoc. 18. in lacum, igne &  
sulphure æstuantem conicitur, &  
dicitur: *Quantum glorificauit se & in deliciis  
fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.*  
Hæc ipsa est damnatio ad infernum.

Super quo nos

- I. Praconium de timore pœna generatim.
- II. De necessitate pœnarum inferni memo-  
randarum.
- III. De earundem vtilitate.

#### PARS I.

*Praconium de timore pœna generatim.*

**I.** Democritus Philosophus aiebat: or. *Timor pa-  
bis duobus continetur; amore pœnae confert.*  
mij, & timore supplicij. 2. Cyrus, Rex  
Persarum primus, ait Xenophon. eadem  
duo Regis brachia appellabat. 3. Dauid  
Deo affectus dat duos, Pf. 24. *Dulcis & re-  
ctus Dominus.* Vbi Cassiodorus ita: *Dulcis,  
ut ametur: rectus, ut timeatur.*

Cur 1. Quia Psal. 110. *initium Sapientia.* Ad con-  
timor Domini, abstinet enim nos à pecca-  
tis. 2. Ideo Romulus, ait Plut. quos propo-  
sunt Deos coli, eos finxit armatos: ut  
timeantur, cauendis peccatis. 3. Huc  
Psalm. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimi-  
ni, qui iudicatis terram: seruite Domino in ti-  
more.* 4. Lutherus docens frustra pœnis  
inferni

inferni fideles perterrefieri panico velut terriculamento: ab Leone X. damnatur.

Ad insti-  
tutionem.

Et bene Conc. Trid. docet metum iustitiæ diuinæ proximum esse gradum iustificationis. Vt indicat Isa. 26. *Sicut que concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in laboribus suis; sic facti sumus à facie tua Domine: concepimus, & quasi parturimus Spiritum conuersionis. LXX. vertunt, & peperimus Spiritum salutis tuæ.* 2. Similiter S. Augustinus in illud Psal. 47. *Ibi dolores vt parturientis, ait. Quid sunt hi, nisi dolores penitentis: id est, ipsa conceptio doloris: iuxta illud a timore tuo concepimus.*

Et diu-  
num.

II. Quare merito timor is dici diuinus debet. 1. Talem agnouit vel ethnicus Plinius lib. 5. *Timor, ait, vitiorum emendator acerrimus.* 2. Lilius. *Externus timor maximū in vrbe concordia vinculum.* 3. S. Bern. eum vocat Religionis socium. 4. Picianus ait: *In medicina poculis solet amarum magis, quam dulce medicari: Sic in anima aegritudinibus sepe timor est prima ad salutem via.*

Et San-  
ctum.

O Sanctus timor! Quidni? Nam ex improbis sanctos efficit. 1. Chrysostomus ait, infernum à Deo conditum non tam ad impios puniendos, quam ad peccatores à peccatis absterrendos, adque frugem reuocandos. *Quia, ait, quando quis vehemētius metuit pœnam, quam meruit; tanto acerbius plangit culpam quam fecit. Nō sanctus sit timor, qui Dei veneratio est?* 2. Abraham ad Abimelech, Gen. 20. ait: *Cogitavi mecum dicens forsitan non est timor Dei in loco isto. LXX. vertunt, veneratio Dei.*

3. Conducit is ad sanctitatem plurimum. Psal. 28. *Vox Domini preparans ceruus.* Hieronymus vertit: *obstetricans ceruis,* id est: timor parit iustitiam. Nam ceruus sunt & timidissimi, & difficillime pariunt; nec nisi celo tonante, tunc enim metu soluantur, vt foetum effundant. Ita terror Dei fit in nobis timor, qui expellit peccatum. Nullus vero timor est vehemē-

tior, quam qui de inferno est: Ideo Sapiens. *Memorare nouissima, &c.*

## PARS II.

Inferni metus necessarius est.

I. Timeri infernum necesse est. 1. Matt. *Necessarius est 1. Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere. Sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus mittere in gehennam.*

2. Quis non ad exemplum Epulonis tartarei tota mente exhorrescat? Quantillum rogat sibi, nec obtinet? itemq; & fratribus; at nequicquam.

3. Moyses ad legis obseruationem vt astringeret populum, timorem obijcit ab inferno istis adumbrato. Deuter. 32. *Ignis succensus est à furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet: congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis: consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium atq; serpentium. Concludit ita: Gens absque consilio atq; prudentia, vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.*

II. Aristot. lib. 3. Polit. c. 2. ait timorem non cunctis solum inferioribus: sed Regibus quoque necessarium esse: prudentiam vero non solum Regibus, sed etiam omnibus. 2. Diog. Laert. l. 4. id Prudentiam inter virtutes esse vult, quod visus est inter sensus. 3. Terent. in Adelph. Act. 3. Sce. 3. *Illud est sapere, non, quod antepedes est, modo videre, sed etiam illa, que futura sunt, prospicere.* 4. Eam S. Spiritus laudat in Sponsa; Can. 2. *Nasus tuus sicut turris Libani, que respicit contra Damascum (erat hæc Salomonis specula; à qua Syriam subiectam contemplabatur iucundissimam, ac procul prospiciebat.) Est autem nasus prudentiæ hieroglyphicum: cuius est prospicere finem.*

Bbbbbb Id

5. *Ad coer-  
cendos ap-  
petitus.*

Id Ieremias ab Solyma negligi deplorabat, Thre. 1. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: quod deuastanda foret ob scelera; 1. Heu! quod tam secure, quam impune viuunt, immemores inferni, vitorisque Dei? 2. Quot affectuum pedestaminant, obliti finis ad finis ruunt præcipitium? Habent enim & affectus pedes suos ac gressus. Vnde Psal. 35. Non veniat mihi pes superbie, id est, ait August. exulet à desiderijs meis superbia. Tu Iesu. statue supra Petram pedes meos. Psal. 39. Petra autem est Christus. Da Luc. 1. ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Pedes victimarum, Leu. 2. diligentissime ablui iubebat Deus: id est, appetitus nostros.*

6. *Ad expi-  
andos ani-  
mos ac per-  
terrefa-  
ciendos.*

III. Huc mirum quantum metus confert inferni. 1. Ideo Deus, Iudæis infensus, primum minis eos perterrebat, ostensa Ieremia: Virga vigilante: tum deinde eidem Ierem. 1. *Quid tu vides, ait. Ollam accensam ego video: & faciem eius a facie Aquilonis. Ea infernus est: de qua dicas i. Reg. 4. Mors in olla, vir Dei. Nimirum inferni memoria volebat eos cohiberi Deus, qui virgæ vigilantis pœna temporali minus mouebantur. 2. Ita Tamerlanes, rex Tartarorum, terrebar, quas obfidebat, vrbes, figens die obsidionis primo candida, altero rubra, tertio furua tentoria: significans gratiam; aut necem; aut omnium quorumque euerfionem; nisi dederent.*

*Exempla.*

IV. Et vero inferni memoriam sanctissimi quoque viri coluerunt. 1. Psal. 114. *Pericula inferni inuenerunt me; tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. O Domine libera animam meam, misericors, & iustus. Psal. 76. Annos aternos in mente habui. 2. Iob 10. Dimitte me, vt planquam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. 3. Daniel ad visum hoc, de Nabuchodonosore 7. annis*

erraturo, vt bos in deserto sic expauit, vt ad horam mutus staret. Dan. 4. Quid si inferni æternitatem inspexisset ei perpetuam? 4. Iesus animo repetens cruciatus in Caluarie subeundos, cepit pauere & cadere. Luc. 22. Et non peccator ad pœnas inferni.

5. Dionysius Carth. in speculo amatorum mundi refert de quodam rediuiuo, degente in deserto, cum vestibus asperri- ma hyeme in profluentem se mergente, vt obrigesceret cum vestitu. Increpantibus eum ait: Si vidissetis, quæ ego: horridiora subiretis. 6. 8. Ioan. Dam. in hist. Barl. 630. prodit, Indorum Regem Iosaphat, visis inferni cruciatibus in alium repente mutatum virum deseruisse regnum, inque eremum concessisse. Enimvero Matth. 12. *quid prodest homini, si in uersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

### P A R S III.

*De utilitate eiusdem memorie.*

I. **N**ecessitati par utilitas est inferni memorati. Nam

*Oderunt peccare mali formidine pœne. Multa designantur scelera. Pf. 13. quorum os maledictione, & amaritudo in plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio & infelicitas in vis eorum, & viam pacis non cognouerunt. Quæ causa tantorum? Non est timor Dei ante oculos eorum.*

1. Vt autem carcer est ciuium timor ac maleficorum: ita hominum, infernus. *Exempla de pœnarum utilitate.*  
2. Thebani semper Laconum Remp. florentissimam sunt admirati. Mittunt igitur Phi'onium Philosophum, qui sagaciter obseruaret omnia, legesq; describeret. Demum is reuersus, in theatro proposuit cruces, gladios, laqueos, eculeos, rotas, flagra, &c. ac filuit. Ad vltimum instantibus ait: Ecce videtis, quod coer- cet Lacedæmonios, vt legibus pareant. Id

Id Thebis deest. 3. Cambyfes Persarum Rex, Sifamnis Iudicis detracta pefle tribunal obduxit, in exemplum successorū Iudicum. Nam is auro se corrumpi permiserat, *Ammianus* l. 23. 4. Successor Artaxerxes, seu Assuerus, pluribus iudicibus corruptis cutem detraxit, ac pro tribunali suppendit. *teste Diodoro Sic.* l. 15.

Ita infernum cum damnatis proponit Deus: statutis insignioribus ad memoriam exemplis, ut demerforum diluio, *Gen.* 7. Sodomitarum, *Gen.* 19. Chore, & c. *Num.* 16. Epulonis, *Luc.* 16.

Quas &  
bruta me-  
tantur.

*Felix quem faciunt aliena pericula cautum!* Lipsius l. de Cruce refert ex Plinio, Afros olim ab leonibus infestatos suspendisse passim multes leones, quibus visis ceteri leones egredi filius non auli fuerit. Vidit Scipio Africanus suspensos, causamque audiens mirari desuit. *Plin.* l. 8. ca. 16. Ergo & bruta pœnis coercentur: quo plus homines.

II. De Iudæis Deus per Moabitidas idola seductis iubet Moyfi, *Num.* 15. Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis. Quo vno ceteris metus iniectus est. Et quis non ad pœnas Principum Angelorum cohortescat? Quota. cti in cruces sunt infernales Alexandri, Cyri, Hannibales, Casares, & c. Arij, Macedonij, Nestorij, & c.

2. Nabuchodonosor, fornaces succensos intentabat, ni statua adorassent: mox adorarunt omnes; præter tres pueros. *Dan.* 3. Deus infernum innotatur: nec mouebimur? *Pl.* 94. Venite, adoremus & proci- damus ante Deum. Aequum est. *Pl.* 65. ut omnis terra adoret te Domine.

3. Quantus erat terror cunctis, *Num.* 16. quando cum Chore 250. viuisterra dehiscebat? Neque tamen adhuc infernum inspexerant. Quis horror, clamorque virum erat, *Num.* 14. referentibus speculatoribus de terræ promissæ gigantibus,

muris, munitionibusque? *Vociferans omnis turba fleuit. Viam mortui essemus in Aegypto, & c. non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & uxores, & liberi nostri ducantur captiui. Et inferni metus animam non percellat?*

III. Hinc religiosus in tentatione digitum igni admovebat: & illa refrigit. Qui, aiebat, tartari flammastuleris? Efficax telum aduersus carnem, dæm. mundum. Nam, *Isai.* 33. *Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante? Quis habitabit cum ardoribus sempiternis?* Quare, ut agricola sterile ac veprosum solum flammis incendit, ut exustum suis ab cineribus fertile scat: ita memorare nouissima, & abhorrebis mox à vitiiis, virtutes amabis ac coles. Vnde *Virg.*

*Sape etiam steriles incendere profuit agros. Age, hoc age: Psal.* 96. *Ignis ante ipsum procedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Tu is esto. Tute tibi Samsonius esto, Iud.* 15. cogitationum tuarum vulpes, facibus inferni armatas, in segetem dæmonum (peccata), immitte: exure: teq; ab iis vindica & in libertatem spiritus afferere stude. Et sane, ait *S. Bern.* in floribus: si amor Dei te tenere non potest, saltem teneat, & terreat timor iudicij, metus gehennæ laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, sulphur fatens, torrens flamma, & omnia mala tartarea. Idem *serm.* quodam. *Descende viuens in infernum, percurrere mentalibus oculis tormentorum officinas: fuge scelera & vitia, pro quibus scelerati homines, & vitiosi perierunt. Hæc memorare nouissima.*

## CONCIO SECUNDA.

### *Quid, & Vbi sit Infernus.*

**E**cclésiasticus, ca. 1. abyssum quandam infinitæ altitudinis describens ait: *profundum abyssi quis dimensus est? Conabor, si non dimetiri; aut adumbrare.*

Bbbbbb 2 Qua-

## Quare

- I. De diuersis animarum receptaculis.
- II. Quid, & qualis sit infernus.
- III. Vbi sit infernus.

## P A R S I.

De diuersis animarum receptaculis.

I. **S**anct. August. tract. 49. in Ioann. ait: *Habent anime, cum de saculo exierunt, diuersas receptiones suas. Prima est Beatorum. De qua Ioan. 14. Vado parare vobis locum, vt, vbi ego sum, & vos sitis. Matth. 5. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Ita Conc. Florentinum in decreto vnionis: & Conc. Trident. sess. 25. Et SS. Patres.*

*Secunda, damnatorum in ima terra. Num. 16. Descenderunt viuentes in infernum cooperti humo. Pl. 45. Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes. Lucae 16. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.*

*Tertia, limbus est Patrum V. T. cuius talistypus Num. 35. Pulsis patria redire nefas nisi mortuo S. Pontifice. Ita pulsi omnes paradiso erant: nec nisi Christo mortuo cuiquam dabatur reditus: Vnde Heb. 9. Christus autem assistens Pontifex futurorum honorum, &c. per proprium Sanguinem introiuit semel in Sancta, aeterna redemptione inuenta. De hoc Iacob Gen. 37. Descendam, querens filium meum Ioseph, lugens in infernum. Quod Nouatores, contra Patrū consensum, de sepulcro interpretantur.*

*Quarta, est infantium non baptizatorum, in pœna damni, non sensus æternantium.*

*Quinta, est Purgatorium: vbi animæ quædam detinentur in pœna remissis culpis. Sicut 2. Reg. 14. Absalon à patris conspectu biennio arcebatur; dimissa culpa fratricidii.*

*Dices. Itan animæ incorporeæ corporeo in loco quibunt contineri? 1. Boetius I. de hebdom. ait. Communis sapientum*

*opinio est, incorporalia in loco non esse. 2. August. 12. super Gen. ad literam. Cito responderi potest, ad corporalia loca animam non ferri nisi cum aliquo, &c.*

*Respondetur. Spiritus esse in loco, non vti sunt corpora; sed modo ipsis apto, non bis ignoto: non tamen ideo negando. Nam & cælum empyreum, vere corporeum, angelis fuit innumeris repletum, simul ac conditum erat, teste Beda: Hinc fide tenemus, Beatis locum dari Deo proximum: damnatis remotissimum à Deo. Atque hæc memorare nouissima, &c.*

## P A R S II.

Quid, & qualis sit infernus.

I. **I**nfernus chaos est merum maledicti-  
onis, regnum tyrannicum, cuius mēbra dæmones: serui, damnati: aula, antrum: lampades, flammæ: dæmonum visio, picturæ: tenebræ, aulea: ignes, lecti: patibula, deliciæ. Audi Epitheta. 1. Eccl. 1. *Profundum abyssi quis vnquam dimensus est? Isa. 24. Cōgregabuntur in locū, & claudentur ibi in carcerem. O scatenent maleficis! 2. Otimate eum, qui habet potestatem mittere in gehennam. Luc. 12. 3. Detrahtos. 2. Pet. 2. in tartarum tradidit cruciandos: dictum ab *ταρταρος*, id est: turbas concito. Ibi clamat, ait S. Ber. *dæmon ad dæmona percutite, dilacera, interfice velociter. spolia detrahe, cito pradare, iniice prunis, & ebullientibus impone lebetibus.* Cyrillus Alex. Orat. de exitu animæ ait. *Est Locus quem ipse quoque diabolus expaulet.**

*4. Amos 2. Bibebant vinum damnatorum in domo Dei sui. Vah domum Plutonis! Eius contriuit portas areas, & vectes ferreos confregit Iesus. Pl. 106. S. Bern. in hoc Mat. 16. *Porte inferi non praualebunt: ait: *Porte inferi sunt cæca desperatio, & dura obstinatio.***

*5. Apoc. 19. vocatur Torcular Dei: nam vt vix variæ, sic animæ variæ in vno inferno pressantur. Vnde Iob. 18. *Calcet su-**

*per*

per eum quasi rex; interitus. 6. Graphice Mathæus c. 8. Eijcientur in tenebras ext. ibi erit fletus & stridor dentium. c. 13. Sicut colliguntur zizania, &c. Sic angeli colligent de regno eius omnia scandala, & mittent in caminum ignis. &c. c. 22. Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras. &c. c. 24. Inutilem seruum eijcite in teneb. 7. Marc. 9. Ite in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur.

8. Isa. 30. Preparata est ab heri Topheth, à rege preparata profunda, & dilatata: nutrimentu eius ignis, & ligna multa flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Topheth locus erat in valle Moria summæ abominacionis, vbi idolo Moloch filii fuerunt immolati cum tympanorum sonitu; à quo topheth dictus est. Iam in orco innumera millia damnatorum dæmoni immolantur.

9. Puteus dicitur Pf. 68. Neque vrgeat super me puteus os suum. Psal. 54. Tu vero deduces eos in puteum interitus. Ioan. 4. Puteus altus est. Non ille sponsæ, Cant. 4. Puteus aquarum viuentium: Sed, is de quo Apoc. 9. Ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magna.

10. Iob. 10. describit, vt terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miserie; & tenebrarum; vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Vah locum.

II. Cyrillus l. de exitu ani. Illic ingemiscunt assidue, nec vllus miseretur: clamat è profundo, & nemo fleclitur: lamentantur, & nullus eripit, &c. Bern. serm. de 5. region. Locus lethifer, in quo frigus rigens, vermis immortalis, factor intolerabilis, mallei percutientes, tenebra palpabiles, horribiles demonum facies. Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea.

## PARS III.

## Vbi sit infernus.

I. Sanct. Greg. l. 4. dial. interrogatus vbi sit infernus; ait. De hac re temere desinere nil audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putauerunt, alij sub terra. Ibid. c. 42. Cum ad aperiendum librum nullus inueniatur dignus sub terra; Apoc. 5. quid obstat non video quod infernus sub terra esse credatur.

Aug. lib. 12. in Gen. In qua parte mundi infernus sit, scire neminem arbitror, nisi cui Domini spiritus reuelauit. Ibidem tamen duas rationes subdit, cur sub terra esse putet. 1. Animæ debent subire sortem rerum, quas amarunt: at hæ terrenæ sunt: ergo & animas redire par est sub terram. 2. vt beatis animabus conuenientissimus est locus cælum: ita infernus damnatis ab illo remotissimus sub terra. 3. Fauent igniuomi montes Aetna, Vesuuus, Helcla. 4. Consentit Ecclesiæ.

II. Iacob. Gen. 36. Descendam, ait, in infernum. Quo de loco variè tamen disceptatur. Sic in Symbolo: Descendit ad inferos. Num. 16. Descenderunt viui in infernum. Pf. 138. Si descendero in infernum, ades. Matth. 11. Et tu Capharnaum, &c. vsque ad infernum descendes.

1. Ad hæc, contraria contrariorum sunt consequentia: Sed beati, & damnati sunt contrarij, & illi in summo; ergo hi in infimo loco. 2. Nam locus dignitati locati respondere debet: at reprobi sunt vt lutum platearum. Pf. 17. & Pf. 1. tanquã puluis, quem proiicit ventus à facie terra. 3. Grauiæ deorsum feruntur; ideo impij Exod. 15. submersi sunt quasi plumbum in aquis: Quis igitur non reformidet in mundi fundo æternum claudi, ac discruciarî? Atque hæc memorare nouissima &c.

## CONCIO TERTIA.

## De pœnis inferni.

SANCTI Iob. c. 10. describit terram opertam mortis caligine, terram miserie & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo; sed semper eternus horror inhabitat. Hanc orci adumbrationem esse reor.

## Circa quem nos

- I. De pœnis ab irato Deo generatim.
- II. De pœnis damnatorum variis.
- III. De singularibus pœnis duabus aliis.
- IV. De pœnarum diversitate, pro delictorum qualitate.

## PARS I.

## De pœnis ab irato Deo generatim.

Sunt pœna post mortem impiis.

Fides docet, Deum iustum esse, eiusque experiri iustitiam post mortem eos, qui viui eam spreuerunt. 1. Psalm. 72. Mei autem pene moti sunt pedes, & c. non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum & c. Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Quæ sunt labor & dolor: cum è contra iustus sit requies ac merces magna nimis. 2. Ideo iustus hanc sperans Psalm. 100. ait: Misericordiam & iudicium cantabo tibi: & meruit illum Iob, 9. Verebar omnia opera mea: sciens quia non parceres delinquenti. Cur? Quia est vindex Deus: Nam, Psalm. 93. Qui corripit gentes, non arguet. Vbi Chaldaei: An possibile est, quod ille, qui dedit legem populo, cum peccauerit, non arguet.

Virga Dei duplex. temporaria & æterna.

Quare pœnæ post fata manent impiis. 1. Vt virga Moyſis, Exod. 4. vertit in serpentem, deuorauitque alios. Ita Virga Dei serpentina tum deuorabit peccatores: Psalm. 38. Visitabo in virga iniquitates eorum. 2. Clarius Psalm. 2. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Vt ergo virga Moyſis biformis fuit: ita Dei est correptio: temporaria mitior: æterna

est virga: iam in serpentem versa. 3. Ita Ieremias c. 1. videbat primo virgam vigilantem: at dein hanc versam in ollam succensam.

Itaque sicut per virgam pulueres è ventibus excutiuntur: ita ventilat suos hic Deus tribulationibus, tyrannis, & c. Isai. 10. Vae Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea.

Bona virga hic, quæ abarceat ab igne ollæ succensæ isthæ: Hinc Augustinus: Domine, hic seca, hic ure; hic non parcas: vt in æternum parcas. 2. Et Manasses Rex. 2. Par. 36. Domine remitte mihi, & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis; neque in æternum reserues mala mihi. Ita & tu ista memorare nouissima tua, & c.

## PARS II.

## De pœnis damnatorum variis.

I. Vt Beatitudo teste Boetio, status est omnium bonorum aggregatione perfectus. Neque oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus diligentibus se. Contraria omnia de inferno asseras, deque offendentibus Deum. Quorum cruciatus tam diri, vt Epulo, Luc. 16. rogarit cælo mitti, quo fratres monerentur, ne in locum eum deuenirent tormentorum.

Dauid post multa de pœnis inferorum, ait demum, Psalm. 10. Pluet super peccatores laqueos ignis sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. In istis est detentio æterna, dolor, foetor, horror, ebrietas.

2. Vah calicem! At Apoc. 16. Babylon, ciuitas illa magna, venit in memoriam Dei; date illi calicem ire eius. Babylon est confusio omnium, par ei calix. Et Psalm. 74. Bibent ex eo omnes peccatores terra. O calix vini meri, plenus mixto confusionis babilonica: at meri: horrore ac doloris, spe nulla diluti, nec vel extremi digiti intincti guttula. Luc. cap. 16. Heu, super hæc, Ecclesi. cap.



cap. 35. sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt flagella sua.

1. Tenebra. II. Quam calix abominabilis; tā horribiles tenebrae sunt. Psalm. 48. Et vsque in aeternum non videbit lumen: 2. Reg. 2. Impij in tenebris conticescent. Quantis, & vnde ortis? Apoc. 9. Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magna, & obscuratus est sol & aer de fumo putei.

3. Mallei demonum. Insuper, Prou. 19. Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus. Hebraei legunt: percussiones dorso stultorum. O tormenta! 1. Deus Psalm. 103. Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita vt non sint. Vult eos aboleri quoad delicta, non quoad substantiam. 2. Ideo Psalm. 67. Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. 3. Merito Cassianus in Confess. Theolog. part. 3. Quis ergo haec sciens non contremiscat? Digno ignem modicum tangere horremus, & quomodo non formidamus in ignis rogam ligatis manibus ac pedibus conici.

Congregatio peccatorum in carcere. III. Chrysof. hom. 5. in 1. Cor. 2. Cum ingredimur carcerem regum, & videmus alios catenis oneratos, alios mortuos fame, alios squallidos & pallidos, alios in tenebris clausos, nescientes quando sit dies vel nox; horremus. Quid ergo erit videre carcerem illum Dei, vbi tot captiui, tot tormenta? Similia eiusdem discipulus Cassianus 2. Horribilius Iob. 20. Hoc scio a principio ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocrisis ad instar punthi. Luet, quae fecit, omnia; nec tamen consumetur: iuxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit aestuabit & omnis dolor irruet super eum; deuorabit eum ignis, qui non succendetur. 3. Psalm. 74. Ibi dolores, vt parturientis. Oseae 13. Dolores parturientis venient. 4. Marc. 13. Initium dolorum haec, quae in iudicio horrenda se dabant. At postea Deut. 33. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis, vnum in ceterum malorum collectos: Vbi

Psalm. 31. multa flagella peccatoris: Vbi vociferabuntur, Psalm. 17. Dolores inferni circumdederunt me.

## PARS III.

De singularibus poenis duabus altis.

I. Vere Heb. 10. horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Nam, hic vna manu punit Deus; at ibi vtraque. 1. Vna hic tactus Iob, quam miserabiliter clamat ad Angelos? c. 19. Misere mini mei, misere mini mei vos saltē amici mei. 2. Sensit vnā Psaltes 138. Posuisti super me manum tuam. Et 31. Grauat a est super me manus tua.

At isthic vtraque ferit. 1. Psalm. 126. Sicut sagitta in manu potentis. 2. Ps. 20. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis; dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Non hic tam orat Vates; quam praefigurat infernaliam. Simul significat, Deum ad puniendum essetardum, quarique debere, vt inueniatur. Ad miserendum vero vltro adesse. Ibi autem, Psalm. 149. Gladij accipites in manibus eius.

En aliam poenam: Iob. 24. Transeunt ab aquis niuium, ad ignem niuium: de dolore frigiditatis ad ignem frigiditatis.

II. O miseriam! Nemo miserebitur. 1. quin Coelites etiam ita Deo: Psalm. 27. Da illis secundum opera eorum, & secundum opera eorum tribue eis, redde retributionem eorum ipsis. Ita Christus suis crucifixoribus imprecatur. 2. Hic proinde cum Sanctis, Psalm. 57. Letabitur iustus, cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.

Haec vero ad poenas alias accedite eis noua. 3. Facient beati his; quale Idumaei Solymaeis: qui accendebant Babilonios, vt etiam in lapides Solymaeorum sauirer: Ps. 136. Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. 4. Quantum iam pro nobis deprecantur: tantum contra damnatos imprecabuntur Beati. 5. Id Magister

Sen-

Senten. docet exemplo Abrahæ; Luc. 16. insultantis Epuloni discruciato: *Memento quia accepisti bona.*

6. Atque vt Iudæi Crucifixum deriserunt: Mat. 27. *Prætereuntes blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum. Ps. 21. Omnes videntes me deriserunt me.* Ita vicissim eueniet damnatis: Ps. 58. *Tu Domine deridebis eos.* 7. Casta Susanna cum duceretur; Dan. 13. qui norant eam, lacrymabantur: at dein cum nequam fenestras aperirent, nemo eos miserabatur. Dominus vero, cum pateretur, sic conqueri poterat: Psal. 68. *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.* Iam vicissim eius crucifixores idem æternum lamententur. Iusto Dei iudicio.

#### PARS IV.

##### De poenarum diuersitate.

*Alii aliis irrogat poenâ Deus.*

I. **N**ec eadem, nec eodem modo patiuntur omnes: sed pro modo delictorum. 1. Psal. 10. *Iustus Dominus, in puniendo, & remunerando: & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* quasi dicat, iudicauit Angelos, Adam, Diluuiates, &c. &c. omnes iuste. 2. Psal. 18. *Nam iustitia Domini recta.* Ps. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.*

3. S. Gregorius 9. Mor. c. 47. in 10. Iob. *Vbi nullus ordo, &c. Quomodo, ait, in supplicis ordo non erit: dum damnatorum quemq; iuxta modum criminis retributio sequitur vltionis?* 4. Deus in poenis discrimen seruabit: in cæteris omnib. erit cõfusio. Nã Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio.* 5. Ideo de Babylonica meretrice, Apoc. 18. *Quãtũ glorificauit se, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum & luctum.*

*Figura.*

II. At ista liquet istis. Iussit Deus Ezechiel, c. 5. nouacula pilos sibi abraderet: trutinaret tripartito: partem primam in

medio Solymæ exureret: alteram gladio circum orbem concideret: tertiam daret ventis, id est, ad literam: significaret, Solymam partim flammis, partim ferro, partim captiuitate perituram. Ita damnati sunt pilosis recrementis viliores, ac diuersimode punientur, videntes semper, quem gladium suum vibrauit Deus, ac perhorrescentes.

2. Ita S. Gregorius in Matth. 13. *Colligite Parabola: primum zizania: ait: Fasciculos ad comburendum ligare, est eos, qui aeterno igni tradendi sunt. pares paribus sociare: vt, quos similis culpa inquinat. par etiam poena constingat.*

3. Idem Apostolus innuit. 2. Tim. 2. per *Simile.* vasa varia in magna familia, lignea, figulina, &c. hæc in honorem, ista in contumeliam. His variis repleta domus Pluronia est.

III. Iussu Dei Noe, Genes. 6. plurimas *Poenarum loca sunt diuersa, et poena.* mansiunculas struxit vna in arca, pro animalium diuersitate. Mundus hic arca est; in eo suus cuiq; locus, aqua piscibus, aer auibus, &c. Ita & in cælo multæ sunt mansiones: Ioa. 14. quare & in inferno, vt bene concludit S. Thomas.

Vnde Gregorius 9. Mor. c. 47. *Licet gehenna vna sit: non tamen cunctos vnæ ademque qualitate succendit: Quia, quod hic dispar agit valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum.* 2. Vt idem sol per tempus Sirii vrit omnes: at non omnes æqualiter æstuant: quia complexionem dissimiles. 3. Ita nec ignis eodem modo operatur in paleas, lignum, ferrum, &c.

Nam Ephræm de vera poen. c. 7. *Sicut sunt peccatorum differentie: ita sunt & cruciatuum: aliter enim cruciatur adulter, aliter homicida, &c.* Sicuti in tribunalibus politicis. Bern. l. Med. c. 3. *Iuxta qualitatem culpæ poenam sustinebit vnusquisque gehenna: & similis culpæ rei similibus iungentur cruciandi.* Quid, quod quidam grauiores ad poenas sunt damnandi, quam ipsi demones? *Sicut*

Sicut homines beati quidem Angeliserunt gloriosiores.

*Perora.* Quare, 1. Psalm. 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Item, *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta, cum exarserit in breui iracundus.* 2. Valuit apud Ninivitas ad poenitentiam denunciatio futuræ euersionis: & minus posset apud nos poenæ ac metus damnationis? 3. Achab idololatra, & persecutor Prophetarum, audita ab Elia comminatione de interitu suæ domus, poenituit in sacco flens, &c. & gratiam obtinuit. 2. Reg. 21. 4. Quod igitur nauæ ad Ionam indormientem tempestati; idem ad vosego: Ion. 1. *Quid tu somno deprimeris? Surge, & inuoca Deum tuum, si forte cogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Heu quam fragili in cymba vitæ ferimur? Eiciemur: Ergo prius surgamus, oremus, &c.

## CONCIO QUARTA.

*De infernali poena sensus.*

**D**ives epulo, Luc. 16. *cum esset in tormētis: & vidit Abraham à longe: & Lazarum in sinu eius, clamans dixit: Crucior in hac flamma.* Vnius exemplum est omnium.

Cuius occasione nos

- I. Poenas esse infernales necesse est.
- II. De poena sensus.
- III. Qui possit in animas agere ignis infernalis.

## P A R S I.

*Poenas esse infernales necesse est.*

**A**Thei fuerint, qui infernales esse poenas negarint. 1. Greg. *Nam sicut beatitudo latificat: ita credi necesse est, quod in die exitus sui ignis improbos exurat.* 2. *Quid? Tot Sancti, Prophetæ, &c. tanta talia que de inferno finxissent? Eorum causa deuitandorū talia perpeti voluissent?* 2. Hier.

*Epist. ad Pammach. An putamus, quod iocando Prophetæ predicent, ridendo loquantur Apostoli, Christus infantiliter comminetur? Sed ioci non sunt, vbi supplicia intercedunt: Si iocando passi sunt, credantur & iocando locuti.*

II. Alexander Aphrodisæus Philosophus sic ad Antoninum Imp. argumentatur: *Si Deus post mortem non remuneret pios, puniretque impios; id fiet, quia Vel ignorat acta vitæ: Vel ad puniendum est impotens; Vel negligens: atque ita deficeret cum scientia, potentia, iustitia; ac proinde nec Deus foret.* Iterum S. Gregorius 3. Dial. c. 44. *Si falsum est, quod minatus est, vt ab iniustitia corrigeret: etiam falsa est pollicitus, vt ad iustitiam prouocaret: Sed quis hoc diceret, vel insanus præsumeret?* Quare. Mat. 25. *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala in ignem æternum.*

## P A R S II.

*De poena sensus.*

**P**OENA sensus existit damnatis ab igne, dæm. &c. hancque patiuntur geminam, ait Scotus 4. dist. 44. q. 2. In ipsa sua essentia spiritali intensissimam, ab igne ministro Dei. Et in animæ facultatibus singulis. Intellectus intelligens cur, quid, quomodo patiat, desperabit ob captiuitatem: voluntas furet ob calamitatem: memoria odit ob æternitatem.

Post iudicium item corpus patietur in partibus ac sensibus singulis: vt damnati clamare queant: Thren. 1. *O vos omnes, qui transitis per viam vitæ mortalis, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Vx! Deus Psalm. 87. *omnes fluctus iræ tuæ induxisti super me quoad omnes partes corporis ac animæ.*

Visus patitur tenebras. 1. Nam Iob 5. *Per diem incurrent tenebras.* 2. Psalm. 34. *Fiant viæ illorum tenebra.* 3. Psalm. 106. *Sedentes in tenebris & vmbra mortis, vinclos in mendicitate & ferro.* 4. Sap. 17. *Vinculis tenebra-*

Ccccc bra-

brarum, & longa noctis compediti, inclusi sub  
 tellis fugitivi perpetuae providentia iacuerunt,  
 & c. 5. Aegyptiis, Exod. 10. tenebrae quanta  
 plaga erat? at infernae spissiores. 6. Tobias  
 pius queritur caecatus cap. 5. Quale gau-  
 dium erit mihi qui in tenebris sedeo, & lumen  
 caeli non video? Vt inferni querentur. 7. A-  
 naxagoras Glaxom. omnem beatitudi-  
 nem in solis pulcritudine contuenda po-  
 nebat: atque ad hoc se natum afferebat.  
 Quo etsi erret; docet tamen quantum  
 sint malum tenebrae.

Infelix ergo oculorum voluptas, quae  
 tantas accersis penas! Audite me, Cupedi-  
 nei, timorem Domini docebo vos: lasciviusne  
 libet adhuc ludere ocellulis? In orco quas  
 cernitis Veneres, Parides, Iunones? & c.  
 An Furias, Medusas, Megaras, hydras?  
 Quin imitamini Iob c. 31. *Pepigi, ait, fœdus  
 cum oculis meis. Ad quid? Psalm. 8. Quoniam  
 videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum lu-  
 nam, & stellas, quae tu fundasti.*

Auditus, heu, quibus obtundetur? 1.  
 Iob 37. *Clamabunt, & ululabunt propter vim  
 brachij tyrannorum. Et Clamabunt, & non  
 exaudient, propter superbiam malorum.*

2. Babylonis eversa, Apoc. 18. ac incen-  
 sa clamores pro oculi horrorem ac  
 stuporem concitarunt: at ludus ad ulu-  
 latus tartareos cruciatorum & crucian-  
 tium.

Odoratus hauriet foetores omnium  
 orbis facium, quae post iudicium de-  
 fluent in orcum, teste S. Basilio. 2. Vnde  
 Ps. 39. *infernus dicitur lacus miseriae, & lu-  
 tum factis.* 3. Tum etiam damnatorum de  
 cadaveribus ascendit fetor, Isa. 34.

4. Ponantur in diata salut. c. 39. ait:  
 si vnus damnati cadaver in orbe foret,  
 momento totum lue inficeret. 5. Martha  
 quid dicis de fratre, Ioann. 11. *Quatridua-  
 nus est, iam fetet? Quantum fetet bit mille-  
 narius damnatus?* 6. Crudele istud Dio-  
 nylij fuit; qui vt Virgilius canit.

Corpora corporibus iungebat mortua viuis,  
 vt foetore enecti contabescerent. Verum  
 id ad inferos, iocus erat. Vae delicatulis,  
 quibus Isa. 3. *erit pro suaui odore fetor.* Qua-  
 re Psalm. 49. *intelligite haec, qui obliuiscimini  
 Deum: ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.*

Gustus, vah, vt torquebitur? 1. Psalm. 58.  
 Famem patientur vt canes. 2. De meretri-  
 ce, Apoc. 18. *In vna die venient plaga eius,  
 mors, & luctus, & fames, & igne comburetur:  
 quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.* 3. Epu-  
 lo, Luc. 16. *nominatim linguam refrigera-  
 ri petebat.* 4. Ierem. 13. *Cibabo eos absynthio.*  
 5. Ps. 47. *Calix in manu Domini vini meri ple-  
 nus mixto, & inclinavit ex hoc in hoc. Verum-  
 tamen saxeus eius non est exinanita, bibent omnes  
 peccatores terrae.*

Tactus ignibus cruciabitur, non So-  
 domæis, Gen. 19. Non Elianis, 3. Reg. 18. cae-  
 lo lapsus etiam saxa absumsit. 1. Sed ignis,  
 qui Isa. 34. *nocte & die non extinguetur, in  
 sempiternum ascendit fumus eius.*

2. Nam Apoc. 14. *cruciabantur igne &  
 sulphure in conspectu Angelorum sanctorum,  
 & fumus tormentum eorum ascendet in saecula  
 saeculorum.* 3. Psalm. 20. *Pones eos vt clibanum in  
 tempore vultus tui. Dominus in ira sua contur-  
 bavit eos, & deuorabit eos ignis.*

Qui tamen ignis non lucet; Deo ita iu-  
 bente: 1. Psalm. 28. *Vox Domini interciden-  
 tis flammam ignis, & lucem ab eo separan-  
 tis: sic in Babylonica fornace abtulit ca-  
 lorem igni.* Dan. 3. 2. Vnde Greg. 9. Mor. c.  
 49. *Flamma vitiorum, concremationem  
 habet, & lucem non habet.* 3. Plane nolite ad  
 istum ignis pictus est. Isa. 33. *Quis poterit  
 habitare de vobis cum igne deuorante? Quis ha-  
 bitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*  
 4. Infamis est, inque prouerbio, *Bos Pha-  
 laris* cui inclusi rei lento subiecto igne  
 torrebantur. Immane supplicium.

at risus est ad or-  
 cum.

PARS

## P A R S III.

Qui possit in animas agere ignis infernalis?

I. Causam affert difficultatis, quod is ignis sic elementaris: & corporeum in Spiritum agere non possit: cum inter agens & patiens esse contactus debeat; at ibi esse non possit. Torfit hoc Theologos, ut in varias abierint opinioniones.

Prima. Sunt, qui purent damnatos tantum videndo ignem pati. Vnde Greg. 4. Dial. Ignem eo tempore patitur anima, quo videt. At hoc per accidens.

Imagi-  
natione.

Secunda. Alij opinantur, animas ignem apprehendendo ut inimicum, cruciari. 1. Secundum Psalm. 13. Trepidauerunt timore ubi non erat timor. 2. Greg. 4. Dial. Quia anima se cremari concipit, crematur. At ita infernus esset tantum imaginarius. Dein est incredibile subtilissimos spiritus imaginari se cremari, cum non crementur.

Hyper-  
physicac  
ualiter.

Tertia. Alij rectius: Ignem aiunt corporeum in Spiritus agere. 1. Greg. 4. Dial. Colligere ex dictis euangelicis possumus, quod incendium non solum anima videndo: sed etiam experiendo patitur.

Verum is ignis non agit, ut pure materialis; sed ut instrumentum Dei quo virtutis est ideo eleuatiore: qua in Spiritus agere subtilissime possit. 1. Pene sicut materix Sacramentorum accedente Verbo sublimantur ad actiones supernaturales, ita is ignis infernalis.

2. Deinde tortor hic constringit Spiritus, ut vim eius defugere nequeant; sicque captiuat intellectum, ut praeter poenas vix aliud intelligant. 3. Vnde Magister sent. ait. Si viuens hominis incorporeus Spiritus tenetur in corpore, cur etiam non teneretur post mortem corporeo igne? 4. Gregor. 4. Dial. Cum Veritas diuitem in igne perhibeat damnatum: quis iam sapiens reproborum animos teneri ignibus neget?

5. Augustinus, l. 21. Ciu. ait: Ut in generatione anima se corpori vnit, hocque amat & animat: ita & cum igne infernali vnitur in poenam suam. 6. Gregorius, in Mora. ait Si incorporeus spiritus in hoc teneri corpore potest, quod viuificat: quare non poenalter ibi tenetur, ut mortificetur.

III. Verum, sciendum est: 1. dolorem spirituum non esse passionem appetitus sensitui in organo corporeo: sed esse affectum voluntatis abhorrentis.

Quis pro-  
prie sit cru-  
ciatus in-  
ferni.

2. Non omnes daemones torqueri in inferno, sed aliquos in aere. Nam, ait S. Thomas, congruum est ut homines ad salutem dirigantur ministerio Angelorum non solum directo bonorum: sed & indirecto malorum per tentationes, at cum Deo vincendas. De aereis spiritibus agit Eph. 2. & 6. Et Aug. 8. ciu. 22. Sunt autem aliqui cacangeli in inferno. Isa. 14. De tracta est ad inferos superbiatua. 2. Pet. 2. Rudentibus inferni in tartarum tradidit cruciandos. Ratio D. Tho. est. Quia ut Beatis ad sunt angeli ad gaudium in caelis: ita damnatis daemones ad poenam in tartaro.

Daemones  
aliquos in  
aere uo-  
gati.

3. Post iudicium extr. omnes damnati in orcum compingentur. Matt. 25. Itemaledicti, &c. Ratio. Quia tunc cessat causa, nimirum tentatio, ob quam in hoc orbe vagabantur. Deinde etsi ratio & modus non euidenter nobis liqueat, quo damnati ab igne discrucientur: factum tamen est irrefragabile.

Usque ad  
iudicium.

4. Quia damnati flammis coguntur clausi ac capti, ideo orcus dicitur portas aereas, & velle ferreos habere. Pl. 106. Atque illa abhorrentis voluntatis detestatio est ipsa discruciatio flammis inuoluta & constricta animae. Quare haec memorare nouissima tua, &c.

Qua porta  
& velle  
inferni.

\* \*  
\*

Ccccc 2 CON-

## CONCIO QVINTA.

## De pœna damni.

**E**Sau reprobus, Gen. 27. cernens pater-  
na se benedictione priuatum, furere  
cepit & efferascere: Ita cacodæmones,  
cœlo exclusissimi, sœuiunt in hæredes  
cœlicæ benedictionis; quo plures sui da-  
mni confortes nanciscantur.

## Super quo Damno nos

- I. Quod non esse sit melius, quam in pœnis esse.
- II. Pœna damni in quo consistat.
- III. Quanta sit pœna Damni.
- IV. De partibus aliis pœnæ eiusdem.

## P A R S I.

## Non esse melius est, quam in pœnis esse.

**N**Vnquam nasci, quam damnari, fa-  
tius est. 1. Matth. 20. Bonum erat ei, si  
natus non fuisset homo ille. 2. Iob solum cor-  
poralibus tangebatur pœnis, & tamen  
maledixit diei suo, & locutus est, cap. 3. Pereat  
dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est,  
conceptus est homo. Dies illa vertatur in tene-  
bras. Quanto magis se non esse optabunt  
damnati; quam sic miseros esse. 3. Non  
diceret, Iob. 10. Quare de vulua eduxisti me?  
Qui vtinam cōsumptus essem, ne oculus me vi-  
deret. Fuissim quasi non essem. Quia, ait S. Hi-  
er. melius est non esse, quam male esse.

II. Ideo Apoc. 9. quærent homines mortem,  
& non inuenient eam: desiderabunt mori, &  
mors fugiet ab eis. Si hoc in antichristiana  
persecutione; quanto magis in inferno?  
1. Nam si Saul, 1. Reg. 31. in gladium incum-  
bens mori maluit, quam superuiuere, fu-  
so fugatoque suo exercitu: nil mirum,  
damnatos velle non esse. 2. Tobias ob  
cæcitatem perasus vitæ erat: ca. 4. Præci-  
pe in pace recipi spiritum meum: Expedi enim  
mihi magis mori, quam viuere.

Optant igitur non esse, qui in æterna

viuunt morte. Nam Psal. 33. Mors peccato-  
rum pessima. Mala est quæ corpus ab ani-  
ma separat. Peior, quæ animam abs Deo:  
Ezech. 18. Anima enim quæ peccauerit, ipsa  
moriatur. Pessima damnandorum: Rom.  
1. Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte  
Æterna. Atque hæc memorare nouissima  
tua, & in æternum non peccabis.

## P A R S II.

## Pœna Damni in quo consistat.

**C**VM in quolibet peccato duo quæ-  
dam insint: Auerfio à Deo, & Con-  
uerfio ad creaturam: ideo duplex ei pœ-  
na decernitur, quæ vtrique respondeat:  
auerfioni pœna damni: sensus, conuer-  
fioni. Quod breuiter ita S. Ilidor. 1. 1. de  
summo bono cap. 31. Et mentem vrit tristi-  
tia, & corpus flamma. Matth. 7. Omnis arbor  
quæ non facit fructum bonum, excidetur, Et in  
ignem mittetur, id est, & à visione Dei se-  
parabitur, & cruciabitur igne.

II. Iussit Deus, Deut. 20. ab Israelitis, ter-  
ram promissam ingressis, quotquot ar-  
bores essent steriles, succidi, non autem  
frugiferas. Ita peccatores. Quibus succi-  
fio, id est, visionis diuinæ priuatio longe  
accidit tristior, quam in ignem missio.

2. Istam cōminatus Israelitis est Deus;  
Deut. 32. Abscondam faciem meam ab eis. Deu-  
ter. 31. Irascetur furor meus contra eum: dete-  
linquam eum, & abscondam faciem meam ab  
eo, & erit in deuorationem: inuenient eum om-  
nia mala, & afflictiones. Vere, quia Deus non  
est mecum, inuenerunt me hæc mala. Similes  
ad Salomonem minæ. 2. Par. 7. 3. Quod si  
ob discessum Pauli, Milesij fuerunt dolentes  
maxime in verbo, quod dixerat: quoniam am-  
plius faciem eius non essent visuri? quis dolor  
erit faciem Dei nunquam aspecturis?

4. Quid acerbissime dolebat Caino? *Figura a-*  
Gen. 4. Nonne hoc? Ecce, eijcis me hodie à *lia.*  
facie terre, & à facie tua abscondar & ero va-  
gus & profugus in terra. Omnis igitur, qui in-  
uene-

Peccati vi  
culpa, sic  
pœna du-  
plex.

Pœna dani  
Figura.

Minatio.

Figura a-  
lia.

uenerit me, occidit me. Tales & reprobi: Pl. 9. Inj. rmabuntur, & peribunt à facie tua.

## PARS III.

Quanta sit poena damni.

*Est in infinita & dolorosa Simile.*  
I. Et omnino poena damni infinita: quia amissum bonum est infinitum.

*Exempli.*  
1. Sicut, qui ipso temporis articulo in terrimum carcerem manciparetur, quo regni adire coronam deberet. Velut Nabuchodonosori euenit; qui in apice gloriae consistens, ecce obbrutescit, & ad feras in saltus eijcitur. Dan. 4. Quem putas is casus ei, quantumque exacerbarit dolorem? 2. Sensit Sedechias, 4. Reg. 25. ex regno in Babylonem captiuus abreptus, carceratus, exoculatus, quantum ea mutatio vulnus infligat. Sed quæ mutatio par huic: ex vita gratiæ in mortem mortis prolabi? Istam quæ fando lingua; imo quæ mens cogitando fuerit? 3. Heu, quis dolor, pristina repetenti animo Iob? c. 29. Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, quando lauabam manus meas butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. Ne quicquam tunc optaris damnatis istud:

O mihi prateritos referat si Sospiter annos!

*Miseria est fuisse felium.*  
II. Bene Boetius: Omnium miseriarum est maxima, meminisse felicem se fuisse: & ut dånati potuisse adire se gloriã cœlestem. 1. Hinc S. Chrysostomus, hom. 47. ad pop. Ant. Multi inferni ignem timent, sed ego maxime amarum dico amissionem gloriæ. Nam qui non nouimus magnitudinem cœlestis boni, non possumus intelligere, quantum malum sit, illo priuari.

2. Hinc Psalm. 10. Pluet super peccatores laqueus, ignis, sulphur, &c. quasi dicat. Hæ poenæ sensus sunt quasi guttulæ ad vnam poenam damni. Ita Augustinus, l. de trip. habit. cap. 2. 3. Chrysost. etiam addit: Si nulla extrinsecus poena sensus torqueret: hæc sola sufficeret poena damni. 4. Cyr. orat. de exitu animæ. A Sanctis dirimi, graue: grauius

à Deo sociari: ignominiosum, tum manibus, tum pedibus colligari: durum, in ext. tenebras an. audari: horridum fremere, dentibus stridere, acerbum, iugibus poenis atteri, laboriosum flammam lingua sustinere.

III. Verba defunt malo paria infinito. 5. Sane istud vnice deprecabatur Psalmes. 26. Ne auertas faciem tuam à me. Pl. 50. Ne proicias me à facie tua. Hoc obsecrabat vnice: Pl. 79. Ostende faciem tuam, & salui erimus. Quo dånabilius est, quicquid ipsam ab cuiusquam anima auertit.

*Auersio Dei est summa infelicitas.*

Quanto id deplorandum est magis quam sius Annæ Tobianæ filius? Tob. 10. Heu, heu me, fili mi? Ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculũ senectutis nostræ? Omnia simul in te habentes te non debuimus dimittere a nobis. Cōsolantem Tobiam ea non audiebat: indies ad speculandum excurrerat, num aduentantem cerneret. O amor & desiderium! Quanto maius fuerit beatitatis æternum amissæ? 2. Fatetur, quid sentire videbatur, Psalm. 41. fuerunt mihi lacrymæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie Vbi est Deus tuus.

3. Vltimæ huius miseriarum faciem in prodigo videre est. Vixerat ad carnem beate, sed vixerat. Subijt metanæa, & turpis egestas: Queritur: Luc. 15. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Ego autem hic fame pereor. Surgam, &c. Sed qui is lurco, ad damnatum orco pabulum? Quid domus ea Patris ad cœlum? De quo Psalm. 111. Gloria & diuitia in domo eius: vbi pater noster, qui est in cœlis.

## PARS IV.

De partibus alijs poenæ damni.

I. Dirus igitur is dolor est, at odiũ Dei *Odiũ Dei*  
in impios intolerabilius ipsis est, Pl. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Ideoque vicissim Psalm. 111. Peccator videbit intellectu, & irascetur voluntate, dentibus suis

Ccccc 3 suis

suis fremet, & tabescet memoria. Et Psal. 73. superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Et 82. qui te oderunt extulerunt caput.

1. Vermis  
cōscientia.

II. Accedit istis Vermis conscientia, siue Synderesis, de qua D. Tho. 2. 2. q. 41. Ha. 66. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Hoc est, quod finxerunt Poeta de vulture rosore iecoris Tytiani apud inferos: Vt Ouid. in Metamor.

Sic inconsumtum Tyty, semperq; renascens,  
Sic perit, vt possit saepe perire tecur.

2. Ergo cō-  
sule consci-  
entia.

II. Quare, Luc. 18. Cum vadis viator vi-  
uens cum aduersario tuo conscientia ad prin-  
cipem Deum vindicem fandi atque ne-  
fandi in via mortalis vitæ, da operam libera-  
ri ab illo per Confessionem.

3. Ne culpa  
sit agnitio  
sera.

Alioquin sero vel damnatus fatebere:  
1. Pl. 118. Iustus es Domine, & rectum iudicium  
tuum. 2. Sicut fratres Iosephi dum fru-  
mentatum irent in Aegyptum, rodente  
animas vulture hoc, dicebant: Genes. 42.  
Merito hac patimur, quia peccauimus in fra-  
trem nostrum, dum deprecaretur nos, & non  
audiuimus eum: ideo venit super nos ista tribu-  
latio. 3. Ita recordabatur, talione accepta,  
Adonibezech; sub cuius mensa 70. Re-  
ges abfectis manibus ac pedibus collige-  
bant micæ: & ait: Iud. 1. Sicut feci ita reddi-  
dit mihi Deus. Fuiſti hic in Deum tyrannus?  
Isthic dæmones patiaret tyrannos.

4. Et pœni-  
tentia va-  
na.

De istis Sap. 5. Pœnitentiam agentes: at se-  
ram ac vanam; & præ angustia Spiritus ge-  
mentes. At frustra.

1. Nam ait Augustinus, li. de fide ad Pe-  
trum. Tempus acquirendi vitam æternam in  
ista tantum vita Deus hominibus dedit, vbi vo-  
luit etiam pœnitentiam esse fructuosam.

2. Quid enim? Quia Iure consulti apud  
Vlpia. ff. de pig. action. aiunt. Nummis adul-  
terinis solutio nulla peragitur. Talis damna-  
torum pœnitentia est. Et æternum istud  
pœnitere quantulo emtum est? Me-  
morare nouissima tua, & in æ-  
ternum non peccabis.

## CONCIO SEXTA.

De eternitate pœnarum inferni.

**M**Inatur Deus, Ierem. 17. Succendam i-  
gnem in portis eius, & deuorabit domos  
Ierusalem, & non extinguetur. Talis inferni  
est ignis.

Super quo nos

- I. De non procrastinanda pœnitentia.
- II. Quod inferni pœnae sint æternæ.
- III. Cur iustum sit inferni pœnas æternare.
- IV. Qui corpus in pœnis æternet.

## P A R S I.

De non procrastinanda pœnitentia.

**I.** PEr frequens admonet S. Scriptura, 1. Iam opor-  
tuit Gal. 6. operemur bonum dum tempus dum est.  
habemus. nam post hoc operari non est;  
sed mera cessatrix æternitas.

2. Hinc orat Psal. 51. Conuerte Domine, &  
eripe animam meam: saluum me fac propter  
misericordiam tuam. Quoniam non est in mor-  
te. qui memor sit tui. O damnosa morta-  
lium procrastinatio sese conuertendi?

Herus cœlo sicco facta tecta reparat,  
ac brumales procellas occupat, vt resar-  
ta domus ab ea vitium non accipiat. Et  
nauta per æstatem nauem reficit, vt in  
altum prouecta, queat vadas sustinere.  
Ita prouidus Christianus temporis con-  
sulit saluti.

Ita Luc. 14. Rex iturus committere bellum  
cum alio rege. prius cogitat si possit cum 10000.  
occurrere qui cum 20. venit ad se Alioqui, illo  
adhuc longe agente, legationem mittens rogat  
ea, quæ pacis sūt. Quid? Aduersaris Deo; in-  
numeras contra religiones Angelorum  
educenti: studes, satanæ, mundi, carni,  
hostibus tuis infestissimis & copias in te  
innumeras distantibus: qui respiciunt ter-  
ram, & faciunt eam tremere: neque dum  
rogas ea Deum, quæ pacis sunt.

II. No-



II. Nolite, ait Abias Rex. 2. Par. 13. Nolite pugnare contra Dominum Deum Patrum vestrorum; quia non vobis expedit. 1. Ne vobis, quod Antiocho, Syriae Regi, eueniat. 2. Mach. 9. Impius orabat Deum a quo non erat misericordiam consecutus.

2. Nam & Esau, Hebr. 12 non inuenit locum penitentiae, quamuis cum lacrymis exquisisset eam. Ah: saepe aut facta, aut vi facta est poenitentia agonistica.

1. Sancit Deus, Luc. 25. vt venditori domus fas esset intra annum retrahere venditionem pretio redhibito. Orig. hic ait: Caelum est domus, quam habemus non manu factam, aeternam in caelis. Hanc, qui peccat, diuendit: at intra vitæ annū reuocare licet, extra hūc, minime. 2. Pl. 87. Nunquid mortui facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & constabuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscuntur in tenebris mirabilia tua, & iustitia in terra obliuionis? Hier. legit: aut gigantes resurgent & constabuntur? id est, Angeli; ob robur. Nam ita Iob. 20. Sed & gigantes gemunt sub aquis tormentorum: quod aeternum iis opprimi habeant. Atque hæc memorare nouissima tua. &c.

## P A R S II.

Quod inferni pœnae sint aeternae.

**I.** Sanct. Augustinus 21. Ciu. Dei culpam Originis errorem hunc; pœnas inferni non perennare; dæmonelque ipsos redimendos fore, & in salutem afferendos. At dudum id damnauit Ecclesia. Nam hoc fieri si possit; possent & angeli è cœlo decurbari, nihil foret de beatitudine certi. at hoc nequit: ergo par vtriusque firmitas est statuta.

Nec minus errabant, qui damnatos fore saluandos olim docebant: nixi illo Matth. 5. Donec nouissimum quadrantem persoluerit. Atqui hoc Donec. negatiue hic fu-

mitur, non positiue. Sicut Gen. 8. Coruus non est reuersus, donec siccarentur aquae: non rediit coruus vnq̄. Ita Pl. 109. Sede à dextris meis, donec ponam, &c. Non vult, quod vnquam sit remouendus à dextris. Igitur Donec aeternitatem significat. Et in inferno nulla est redemptio.

II O aeternitas! 1. Matth. 25. Ite maledicti in ignem aeternum. Marc. 3. Qui blasphemauit in S. Spiritum, non habet remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti. 2. Theff. 1. Pœnas dabunt in interitu aeternas, à facie Domini, & à gloria virtutis eius. Iudas. Angelos vinculis aeternis sub caligine reseruauit. Ibid. Sicut ciuitates exornicate (Sodoma, &c.) & abeuntes post carnem alteram, factae sunt in exemplum, ignis aeterni pœnam sustinentes. Ita Apoc. 14. Iere. 17. & 23. Psalm. 48. Non dabit De. placationem suam, nec pretium redemptionis anima suae, quali dicat, irredimibilis est damnatus semel, quia subdit, laborauit in aeternum, & viuet adhuc in finem. Bern. I. Medit. cap. 5. Subueni mihi Deus meus priusquam sine termino crucietur in inferno.

O aeternum! Te quis non horreat: plangat? Iacob Ge. 37. continuo luctu doluit annis 23. sedecennem suum Iosephum, vt rebatur, occisum. Nimis est vita breuis ad mortem vnus peccati deplangendam.

III. Hæc vna de aeternitate cogitatio in numeros desertis inclusit, accœnobus; in vepreta ac prunas; etiam nudos abiecit. 1. Dauid Pl. 76. Annos aeternos in mente habuit semper, an myriadum myriades! Non. Sed aeternos. 2. Si ex oceano formica post myriades millenas educeret vnâ guttulam, exhaustiretur demum: at aeternitas nunquam. O aeternitas, & tam cruciabilis. 4. Angelus Apoc. 18. molare faxum in mare abiciens ait: Hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna: & vltra tam non inuenietur. 5. Fit ergo, ait Sanct. Greg. 9. Mor.

Scriptura teste.

Mutuenda aeternitas est.

Et ea cruciabilis fugienda.

Mor. c. 49. *miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu. Quia & mors vivit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.* Et sane omnia apud inferos aeterna sunt: captivitas, cruciatus, desperatio, odium, vermis, &c.

*Est eadem desperata.*

Figurat id fornax Chaldaea, cuius etfi flamma se eiecit supra ipsam 49. cubitos, nunquam tamen quinquagesimum attingit cubitum iubilaeij numeri. quia inferno nullum est iubilaeum spei, gratiae, &c. Aeternum permanedo perit, & pereundo permanet. Hinc Mal. 4. *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facient impietatem ut stipula: & inflammabit eos dies veniens, qua non relinquet in eis radicem & germen.* A deo spem omnem praecidet, & stirpiter eradicabit. Nulla spes germinandi super, cum radix nulla terrae relicta est. At dies iudicij etiam fibras spei persequetur.

*Est fatalis.*

IV. O par seueritas, & aeternitas! Et vtraque ineuitabilis. 2. Pet. 2. *Si enim Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reservari: num melius erit hominibus? 2. Quin audient: Ite maledicti in ignem aeternum.* 3. Hunc in Symbolo confiteris istis: *Credo vitam aet. ergo per contrariam consequentiam, damnationem item aeternam.* 4. Hinc dolor: ait S. Bern. l. Med. c. 5. *inde pavor, stupor, gemitus, & timor horrens in aeternum, & vltra.* Quare antequam puteus te absorbeat poenitere, &c. Vbi non est locus confessionis. Quia in inferno nulla est redemptio.

V. Ergone vsq; adeo, Ps. 76. *aut oblitiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Ita: ita. Et quidem in eo iustus es Domine & rectum iudicium tuum. Psal. 118.

Sed Domine cum dicas: Apoc. 18. *Quam glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum: cum vero momenta-*

nea sit hic voluptas: iustumne, vt pro puncto rependatur aeternitas? Ecce ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

### PARS III.

*Cur iustum sit inferni poenas aeternare.*

I. Sanct. Greg. responder: *Iustum est, vt qui in suo aeterno peccavit in Deum, in aeterno Dei puniatur.* Augustinus, cum pluribus demonstrasset; aeternas esse poenas; demum concludit, neque sic tamen peccata ex condigno plecti. Tantam eorum esse malitiam!

Aeternitatis igitur poenosa causa prima est: malicia peccati consistens in voluntate. Haec nimorte susteretur, aeternum procederet peccando. Quique peccator non odio culpa, vel metu poenae, vel amore Dei finem imponit peccatis; sed morte cohibetur; eius voluntas velut interpretatiue permanet, qua prius. Vnde aeternans iuste aeternas poenas perdit. 1. Sicut aleatores ludunt, dum candela deficiat, hic a lusu quidem absistunt; ad non a voluntate: Sic illi, cum per mortem extinguuntur: nam a gre ferunt se luce destitui. 2. Hinc Greg. 4. Dial. *Voluissent sine fine vivere, vt sine fine possent in iniquitatibus permanere.* Et alibi, *Ad magnam iustitiam pertinet iudicantis, vt nunquam careant supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato.*

Secunda ratio. Quia bonum, in quod peccatur, infinitum est; ideo peccati malitia perinde est infinita. Quia autem peccator non potest esse capax poenae intensue infinitae; oportet vt extensue eam sustineat.

Tertia. Meriti gloriae, & demeriti poenae: est par ratio. Nam contrariorum est contraria ratio. At meritum momentaneum in gloria gens gloriae pondus operatur. Ioan. 6. *Omnis enim qui videt filium, & credit in eum, habet vitam*

vitam eternam. Quare demeritum culpæ poenam quoque æternam promeretur.

4. *Obm. istam Dei.* *Quarta.* Dei maiestas, quæ à peccante profanatur, est infinita. Ideo pars & peccati iniquitas; sit proinde pars & vindicta.

5. *Obpermanentiâ peccati.* *Quinta.* Cuius causa perennat, id ipsum quoque æternat. Vt, quam diu fax ardet, tam diu & lux eius fulget. Atqui peccatum, causa poenarum æternat. Quia Psalm. 73. *Superbia eorum ascendit semper.* Ergo & poena item permaneat necesse est. Nam semper malum peccata comitatur, ait S. Bern. serm. 8. in Pl. 90 Psalmam igitur Psalm. 10. *Iustus Dominus, & iustus dilexit, æquitatem vidit vultus eius.*

## PARS IV.

*Qui corpus in panis æternat?*

*Diuinitus.* I. *Quæris:* cur in poena æternante corpus finitum nõ consumitur? *Dico:* id inigne Omnipotentis Dei esse argumentum. 1. Sicut, Dan. 1. tres pueri in fornace nec adustulari fuerunt. 2. Sicut Exod. 3. rubus arsit, & tamen incombustus perstitit.

3. S. Bern. l. Med. c. 5. ait, ignis in inferno consumit, vt semper referuet: sic tormenta aguntur, vt semper renouentur.

*Naturalibus ostenditur.* 4. Similiter natura docet, perpetuum ardere montes; & permanere tamen integros: quibus docemur, ait S. Aug. l. 21. Ciu. non esse incredibile, vt hominum corpora, sempiterno supplicio punitorum, sine detrimento ardeant. 2. Salamandra ab ignibus tantum nõ absumitur, vt etiam foueatur iisdem. Tales in orco sunt reprobi.

3. Deus, Deut. 29. seruauit 40. annis in deserto vestes: magis corpora infernalina potest iustitiæ vindictiæ conferuare.

II. *Quæris* Num corpora ea corruptio- ni subiaceant: cum ex contrariis consentent, qualia hæc nostra: nec ab gratia vlla inhærente conferuentur. *Dico* incor-

rupta manent, non ex natura: sed ab defectu primi mobilis, iam tum stantis; quod omnis corruptionis est causa æterna; quia commouet contraria compositorum corporum. Ita liquet istud Apocal. 9. *In diebus illis quærent homines mortem & non inuenient eam: desiderabunt eam, & mors fugiet ab eis.* Atque ita Mat. 25. *ibunt in supplicium æternum.* Hæc memorare nouissimæ tuæ, &c.

## PERORATIO.

*Q*uid non ageretur, cui necesse foret tota vita strictissimis vti calceis; aut strepitum pulicis in aure tolerare; aut qua- iret, muscas in faciem inuolantes sustinere, aut febrem perpeti; aut in delicato stato irremisse decubare? Nihil non moliretur, vt se molestia liberaret. Quid igitur, vt inferni cruciatus euadas?

## CONCIO SEPTIMA.

*De infelici damnatorum sorte.*

*I*saias cap. 24. horrenda describens ait. *Erit, qui fugerit a voce formidinis, caderet in foueam: Et qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo.* Quia cataraçta de excelsis aperta sunt, &c. *Gravabit eam (terram) iniquitas sua, & corruet, & non adiciet, vt resurgat: & visitabit Dominus super miliciam cæli in excelsis, & super Reges terra, qui sunt super terrâ. Et congregabunt in congregatione vnius fascis in lacum, & cludentur ibi in carcerem.* Hæc ipsissima damnatorum fors est, ex mente interpretum loci.

Nos circa ea

- I. *Quod extrema damnatorum sit infelicitas.*
- II. *Fidelium suffragia damnatis prodesse nihil.*
- III. *De numero damnatorum.*

D d d d d      PAR 5

## PARS I.

Quod vltima damnatorum sit infelicitas.

Figura.

Miseranda fors Sampsonis erat: virum tantum captiuum duci, vinculis innecti, exoculari, in pistrinum detrudi, exponi fannis ac ludibrio, demum suapte obrui ruina & cadaueribus testum consepeliri. *Iud. 16.* At damnatorum fors quāto infelicioꝛ est? 2. Ex Epulonis vnus vira, sorte, vocibus æstimentur omnes, rotis pœnarum adalligari, & circumacti.

Exemplū.

3. Quis putas tunc mœror erit, ait S. Victor. *I. de anima, qua tristitia, cum separabuntur impij à consortio sanctorum, à visione Dei, & traditi in potestatem ibunt cum ipsis in ignem æternum? Hoccine est istud Ps. 82. Pone illos vt rotam? O rotam æternam pœnarum!*

Comparationes.

Lacrymosa Sedechiæ Regis fors, 4. *Reg. 25.* in carceris babilonici pedore degentis sine oculis, liberis, ac omnibus: ac etiam sine spe regni euerfi restituendi. Ista tamen ad tartarea sunt nihili. Nec enim iſthic rex vnus; sed plures mille millies inferiores, &c. 2. Quos si cui contueri liceret, non Spiritus in eo remaneret. Tres certi amico Iob visa eius miseria in timore, orbi liberis, fortunis, honoribus, auxiliis, & omnibus, emarcuerunt, obmutuerunt, corruerunt. Et ista tamen nec vmbra sunt pœnarum infernalium. 3. Hinc S. Græg. in homil. *Dum recognosco Iob in sterquilinio, Ioannem esurientem in eremo, Petrum extensum in patibulo, Iacobum decollatum ab Hero de gladio: cogito, qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ita dure affligit quos amat?*

Refert Ioann. Climacus de quodam religioso, qui, quoties ignem aspectaret, lacrymabatur, memor inferni: de quo ex isto æstimabat. Ergo, ait S. Chryf. in hom. *Cogitemus quantum sit mali in conflagratione perpetua, in tenebris? &c.*

Nobilis aut bene natus ac eductus in tetrum condatur carcerem, catastæ indatur, catenis inter latrones oneretur: quis ei luctus erit? Quam sortis luctuosa memoria antegressæ? At nihil ad infernaliam. Atque illa memorare nouissima tua, & in &c.

## PARS II.

Fidelium suffragia damnatis prodesse nihil.

I. Quid Ioann. Damascenus refert de S. Machario, inuentam ab eo caluariam, cuiusnam esset interrogatam respondisse: sacrificuli se idololatræ esse damnati, iuuarique precibus fidelium: Quodq; de S. Gregorio, orante pro anima Traiani, memoratur, eum exauditum fuisse: Neutrum auditur: reicitur vtrumque. Constante docet Ecclesiæ quidem orandum pro damnatis esse, minus quæquam pro iis exaudiri precantem. 1. Hinc S. Dion. Cœl. Hierarc. c. 7. ait: *Summus Sacerdos pro immundis non orat: quia in hoc auerteretur à diuino ordine.*

2. Vt igitur, ait S. Augustinus, iniuriam facit martyri, qui pro martyre orat quod salutis sit certissimus: ita orans pro damnato pœnam desperati potius augeat, quam minueret. 3. Nam Plalm. 48. *Christus frater non redimit: redimet homo, ex inferno?*

4. Nec si Deipara, Diuique omnes supplicarent pro vno damnato. Quia in hoc decreto Deus immutabilis est. *Ps. 101. Ipsi peribunt; tu autem permanes: & sicut oportorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem ipse es.* Mal. 3. *Ego enim Dominus, & non mutator: At homo stultus sicut luna mutatur, Eccl. 27. Ergo qualis in essentia Deus, talis in verbis & actibus est.*

Ideo, vt S. Bern. serm. 8. in Psalm. 90. *Nulla omnino credenda est futura erga impios miseratio illic, vbi nulla speranda est correctio.*

Idem

Narrata  
adducta.

Ita sensus  
Ecclesiæ &  
consensus  
ss.

Sententia  
Dei est ir-  
reuocabi-  
lia.

Damnatis  
est inem-  
dabilis.

Idem I. Med. c. 5. In carne cruciabantur per ignem, in spiritu per conscientie vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, mors anime & corporis sine spe. 6. Inde S. Aug. palam edixit: si sciret, patrem suum damnatum esse, non magis pro ipso, quam pro damone oraret.

Desperati  
decesserunt.

Ergo istos finamus bis mortuos, temporaliter in peccato, & aternaliter in impoenitentia. Qui cum è viuus abirent fuit eorum cymba, qualis Atheniensium nauis, qua in Cretam mittebant ab Minotauro dilaniandos liberos. Eam velis, supparis, & omnibus attris apparabant, quod orco dediti, nusquam essent redituri, teste Plut. in vita Thesei. Itaq; Ps. 38. Remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero. Iob. 10. Antequam vadam, & non reuertar; ad terram tenebrosam.

Origenista  
refutatur.

11. Origenista multi multa fabulati finxerunt, putantes poenam imminui posse damnatis, non in infidelitate obstinata de mortuis. 1. At culpa eorum permanet: imo superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper: quare talis & poena permanet. 2. Adhuc tam damnati in suo sunt centro, quam beati in sua patria. 3. Et verisq; iudicium vltimum decreuit irreuocabile, quod promeritum fuit. 4. Vnde vt beatorum gloria essentialis decrefcere nequit; ita nec miseria damnatorum. Ita S. Th. 3. q. 17. art. 5.

Tartares  
reficiunt  
vstra.

5. Potissimum quia, (vt Aug. ait l. de cura pro mort.) ibi sunt spiritus defunctorum, vbi non vident quacunq; aguntur, aut eueniunt in ista vita ab hominibus. Quod ergo ignorant suffragium; id nec sentiunt. 1. Nam nec beati sciunt quicquam eorum, quæ hic gerantur; nisi in Deo reuelante intueantur: at damnati intuitione ea in aeternum priuati sunt: quare & notitia sensuq; rerum nostrarum. 2. Neq; iis, vti purgatoris reuelant Angeli. Nam lucis ad tenebras nulla est conuentio.

III. Quo infelicitate ipsa infelicior est omnis damnatus. 1. Quid, cuiusquam pro horum quoquam proficerent preces? Imo, Sap. 2. Pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos. 2. Qua in consideratione Psaltes ait, 76. Renuit consolari anima mea. Cur? Anticipauerunt vigilias oculi mei; turbatus sum, & non sum locutus: cogitavi dies antiquos, & annos aeternos in mente habui, &c. Quoniam nulla in iis redemptio.

Sancti eos  
excoerant.

1. Ionathas, 1. Regum 14. addictus à patre fuit neci: totus Israel deprecatus vitam ei impetrauit condonari. 2. Thecuitis, 2. Reg. 14. Absolomo, à patris conspectu exclusissimo gratiam exorauit. 3. Esth. c. 7. proscriptos & edicto deditos neci Iudæos precibus liberauit ac seruauit. At vnum inferno educere damnatum nec tentarint Cœlites vniuersi. Ezech. 21. Vt fiat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem. O horror, ô dolor, ô furor, ô decretum!

Dispara-  
ra.

Sed ideo dictum est, Matth. 25. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, non ait, pro omnibus: sed multis: nam non pro damnatis.

Nec Cœlites, quorum intensa est charitas, precibus aut volunt, aut valent tantillum pro tartareis: quanto minus homines? Quin magis quiuis in cœlis letabitur iustus, cum viderit vindictam. Ps. 57. Et Psal. 149. Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, non redemptio- nem ex inferno.

### PARS III.

De numero damnatorum.

I. **E**Ccl. 1. Stultorum infinitus est numerus. 2. Hic pluri-  
Et Matth. 7. Lata est porta, & spatiosa  
via, que ducit ad perditionem, & multi intrant  
per eam. 3. Annon, Luc. 24. ad nuptias  
filij erant multi vocati; pauci vero electi?

Ddddd 2 Nam

Nam cœperunt se excusare omnes propter vile lucellum, 4. Annon, Luc. 8. bonum semen feminarat colonus: & quanta succreuit zizania? 5. Ita, Zach. 13. erunt in omni terra, dicit Dominus, partes due, dispergentur & deficient: & tertia pars relinquetur in ea.

*Exempla paucorum saluatorū.*

II. O si tertia salua foret! 1. Nam Luc. 2. Ecce hic positus est in ruinam multorum. Quot horum? 2. Id ex diluuiō æstima: Gen. 7. in quo tantum octo animæ saluæ factæ sunt. Quid si in secundo diluuiō aquarum multarum ad eum numerum forte non approximabunt? Nam si non propter electos abbreviarentur dies, non fieret salua omnis caro. 3. Ex Sodomitico incendio quot animæ seruatae? Gen. 19. Tres, Loth cum filiabus: nam quarta vxoris in via lapidescebat. 4. De vniuersis Ierichuntinis superuixit ereptus nemo præter vnam meretricem Raab cum cognatione sua. Ceterum nec lapis super lapidem permanisset in terræ solo maledicto. 5. Horresco memorans! Sexcenta Israelitarum milia ex Aegypto egressa sunt: ad terram promissionis anhelarunt omnes: at peruenierunt duo soli, Caleb & Iosue. O Iudicia Dei abyssus multa! Quam multi sunt vocati, quam pauci vero electi?

*Orem tuendam.*

III. Quis animus vobis, auditores? 1. Quis fuerat Apostolis, cū audirent, Mat. 26. Vnus vestrum me traditurus est. Nā quisque sibi metuebat. Et tu nescis homo, odio, an amore dignus sis. 2. Fac esse ciuitatem seditiosam, Rex denunciat vnum è cunctis fore viuum excoriandum, ac mille modis discriciandum, quis securus ager incolarum? At talis hic mundus est, rebellis Deo: ex quo non vnus, aut mille; sed multi peribunt, seruabuntur pauci. 3. Stet in armis exercitus, nunciatur intra horâ fulmen cadens perditurum vnum è cunctis, qui metus erunt omnium? Nos in vitæ stamus militia, fulmen ruet, non Ito, sed Ite maledicti, & adhuc in bonis duce-

mus dies? Dicemus, pax, pax, cum non est pax impio? Quocirca memorare nouissima tua, &c.

*Hebdomada quarta Aduentus.*

## DE GLORIA COELESTI Quarto Nouissimorum.

### CONCIO PRIMA.

De memoria Gloriæ cœlestis.

*Memorare nouissima tua, & in aeternum non peccabis. Eccl. 7.*

Exploratores terræ promissæ, Num. 13. vt fertilitatis specimen præbuisent; ita eius exarfit desiderio populus; vt omnem de repetenda Aegypto cogitationem damnarent, idola proiicerent, armisque etiam inuadere staret cunctis, aut certæ occumbere morti. Ipse cœlorum vobis exploratorem agam: vos animos capeffite, amores alienos damna- te; detestemini scelera & abiicite, ad anteriora vos extendite mecum, ad superum brauium persequendum.

*Itaque:*

- I. Quod admiranda sit Cœlestis gloria.
- II. De quantitate & valore eiusdem.
- III. Adumbratio quadam gloria cœlestis.
- IV. De vtilitate ex memoria eiusdem.

### PARS I.

*Quod admiranda sit cœlestis gloria.*

Simonides Philosophus, ait Cic. 1. de Nat. Deor. & Verrinas. Strabo l. 6. Hiero- ne tyranno Syrac. sciscitante: Quid, qualisque Deus esset; diei postulauit vsuram ad cogitandum. Conuentus postridie, bidui spatium poposcit, dein tridui procrastinationem, & sic vsque pronunciauit amplius; nequedum tamen quicquā enunciauit, nisi istud: Quo considero diutius, hoc mihi res videtur obscurior. Rectius id de cœlesti gloria dixero.

*Est in sermō-  
tabili.*

2. Sen-